

*72. Instrumentum divisionis di
un appezzamento di terreno tra
Bariona ‹ovvero Canio?› e Angelo
de Picerno di Potenza, fratelli*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*72. Instrumentum divisionis di
un appezzamento di terreno tra
Bariona <ovvero Canio?> e Angelo
de Picerno di Potenza, fratelli*

1375-04-22

(c. 409v) In nomine domini nostri Iesu Christi amen.
[A]nno a nativitate ipsius millesimo trecentesimo
septuagesimo q[uinto], regnante serenissima domina
nostra Iohanna Dei gratia inclita regina Ierusalem et
Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et
Forcalquerii ac Pedimontis comitissa, regnorum suorum
anno [tricesimo] tertio feliciter amen, die vicesimo
secundo mense aprilis, t[ert]iedecime indictionis, apud
civitatem Potentie.

1

Nos Adenolfus de Stampis de Potentia ipsius civitatis
annalis iudex, Franciscus notarii Iacobi de Potentia
publicus ubilibet per totum regnum Sicilie reginali
autoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter
vocati et rogati presenti scripto publico fatemur atque
testamur quod in nostri presentia constituti Baryonas
de Picerno de Potentia et Angelus de Picerno de
eadem civitate Potentie, fratres, filii quondam Girardi de
Picerno de dicta // (c. 410r) civitate Potentie asseruerunt
coram nobis se habere, tenere et possidere ex successione
paterna territorium unum situm in tenimento dicte
civitatis Potentie, in contrata de li Gactuline, iuxta terras
dicti Gactulini ab una parte, ab alia parte iuxta terras
Christofori Carusi mediante vallone comuni, ab alia
parte iuxta terras ecclesie Sancte Crucis mediante limite
comuni, ab alia parte iuxta terras ecclesie Sancti Girardi
de Potentia mediante limite comuni, ab <alia> parte
inferiori iuxta terras Angeli Falifori mediante vallone,
ab alia parte superiori iuxta terras Robertelli de Pot(...)
La data è stata integrata tenendo conto dell'indizione e dell'era
regni (calcolata per anni interi), leggibili solo in parte, ma
rispetto alla cui integrazione non pare possano esserci dubbi.

iuxtah mediante limite, si qui alii sun[t] confines. Et considerantes dicti Baryonas et Angelus frat[re]s quod solet negligi quod comuniter possidetur, terri[toriu]m predictum ut supra se coram nobis voluntarie [di]viserunt et de dicto territorio dicto Et considerantes dicti Baryone contingit [et i]n sortem evenit medietatem dicti territorii videlicet iuxta terras delli Gattuline ab una parte, ab alia parte iuxta terras Christofori Carusi mediante vall[one] comuni, ab alia parte iuxta terras ecclesie Sancte Crucis medietate limite comuni, a parte inferiori iuxta terras Angeli Falifori medietate vallone comuni, a parte superiori iuxta terras Robertelli de Petra Fixa medietate limite comuni et si qui alii sunt confines; et dicto Angelo similiter contingit et in sortem evenit de territorio ipso medietatem aliam territorii ipsius iuxta aliam medietatem dicti territorii ab una parte, ab alia parte iuxta terras // (c. 410v) ecclesie Sancti Girardi de Potentie medio limite comuni, a parte superiori iuxta terras Robertelli de Petra Fixa medio limite comuni, ab alia parte iuxta terras Angeli Falifori medio limite comuni et si qui alii sunt confines. Quicquidem Baryonas et Angelus fratres de dicta divisione inter eos facta et habita de dicto territorio quod unicuique ipsorum contingit et evenit in sortem [.....], ut prefertur, nec non et omnia alia bona tam mobilia quam stabilia que quislibet ipsorum haberet et tener[et] que forte fuissent de bonis paternis tenentes [.....]antes et reputantes se tacitos et contentos et pro[m]iserunt dicti fratres, ut supra, ad invicem alio ab alio stipulante dictam divisionem et omnia et singula supradicta et infrascripta ratam et rata [ac] firmam et firma habere, tenere et nunquam contra eam vel ea facere, dicere et venire, per se et eorum heredes aut aliquos alios

quovis modo, in iudicio vel extra iudicium, de iure vel de facto, aliqua occasione, exceptione, ingenio seu tractatu, sub pena unciarum auri decem, medietatem ipsius pene reginali curie vel alteri curie ubi exinde facta fuerit reclamatio seu querela et altera medietas <sic> dictorum fratrum <sic> et heredum suorum dictam divisionem et hec omnia observanti, me prefato notario tamquam persona publica pro parte dicte curie et predictis fratribus ad invicem altero scilicet ab altero pro se et suis heredibus stipulantibus // (c. 411r) solemniter penam ipsam. Qua comissa vel non comissa, exapta vel non exapta seu gratiose remissa presens nihilominus instrumentum cum omnibus que in se continet in suo semper robore et efficacia perseveret, cum refecione damnorum interesse et expensarum litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento ipsius alterius <et>heredum suorum, nulla alia probatione quesita; et renunciaverunt dicti fratres ut supra ad invicem <alter> alteri scilicet pro cautela alterius exceptioni doli mali, vis, metus et in factum presentis non sic celebrati contractus, rei predicto modo non geste vel aliter habite quam superius continetur et generaliter omnibus aliis auxiliis et beneficiis omnium iurium atque legum a[c] quibuslibet privilegiis, literis, rescriptis et specialiter i[u]ri dicenti generalem renunciacionem non valere et iuri per quod cavetur quod dicto iuri renunciari non possit quibus vel ipsorum aliquo suffragantibus, dicta divisio et predita omnia et singula possent in aliquo minui vel infringi. Pro quibus omnibus et singulis actendendis et inviolabiliter observandis quodque predicta omnia et singula vera sint dicti fratres sibi ad invicem coram nobis corporaliter per eos // (c. 410v) tacta

ad sancta Dei evangelia iuraverunt; et voluerunt dicti fratres quod si aliqua iuris solemnitas in presenti instrumenti <sic> deficeret, tacite et expresse intelligantur in eo et totiens refici possit et emendari ad consilium sapientis quotiens opus fuerit, veritatis tamen substantia non mutata. Unde ad futuram memoria et ipsorum fratrum preces ac cautelam et certitudinem eorundem et heredum suorum facta sunt exinde duo publica consimilia instrumenta, unum pro unoquoque fratrum predictorum, signo meo solito signatum, mei qui supra iudicis ac nostrorum predictorum subscriptorum testium subscriptionibus roboratum.

2

3

4

5

Que scripsi ego predictus Franciscus publicus ut supra notariusqui premissis omnibus rogatus interfui et meo consueto signo signavi. (S) Franciscus † Ego Adenolfus de Stampis iudex qui supra † Ego abbas Angelus de Madio canonicus P[otentinus] testis sum † Ego Manfredus de Centum Manibus testis interfui † Ego Gabriel Strambus testis interfui Abbas Angelus de Madio archipresbiter Sancte Trinitatis

Così S qui e in seguito, nel regesto Canionus

Così S, in docc. coevi Falifoci

Così S qui, sotto e in docc. coevi Petra Fixa

Così S per mediante qui e in seguito